

quantitate, et ideo desinit ibi esse sanguis Christi, qui eatenus ibi est, quatenus species consecrata non corrumpitur, imo existit, et conservatur. . . . Contra eandem tamen videntur sentire fere omnes theologi . . . pro qua sententia afferunt multas et efficacissimas rationes, ultra auctoritatem hujus textus (*Cum Marthæ*, etc.) qui indistincte loquitur, sive liquor in magna quantitate, sive in parva misceatur calici consecrato (77). » *Collect. DD. in Decr.*, tit. 41, *De celebrat. missæ*, c. *Cum Marthæ*, et c. 6, n. 10.

Illud quoque pro hac postrema sententia ex veteri disciplina addere possumus « cum populo in calicibus ministerialibus sub specie vini exhibebatur Eucharistia, vinum non consecratum identidem, ut postulabat numerus eorum, qui essent communicandi, in calicem infundi consuevisse, nec ullum unquam veritum esse, ne fideles Christi sanguinem non susciperent. » Verba sunt Bened. XIV, *De sacrific. missæ*, lib. III, cap. 10, n. 17.

ARTICULUS IX.

Missa quoad vetita in ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Vetitum est missam celebrare capite velato. —
2. Unde nemini licet uti pileolo, et ficto capillitio. —
3. Nec alius præter Sedem Apostolicam potest concedere facultatem eum ferendi, ad n. 4. —
5. Vetitum est missam celebrare sine ministro. —
6. Vetitum est sacerdotibus deferre manutergium super calicem eundo, vel redeundo ab altari. —
7. Vetitum est pro ministro feminam inservire. —
8. Sic nec filius illegitimus potest missæ sui patris presbyteri inservire. —
9. Vetitum est cum baculo ad missam celebrandam accedere. —
10. Item vetitum est missam sine luminibus celebrare. —
11. Sic etiam vetitum est missam celebrare in calice ligneo, et vitreo. —
12. Neque uti permittitur calice ex ære, aut aurichalco. —
13. Sicuti nec etiam uti licet calice plumbeo, aut ferreo. —
14. Vetitum est missam celebrare cum calice quocunque non consecrato. —
15. Imo, si quis auderet celebrare in calice non consecrato, esset suspensus ab officio celebrandi et a beneficio, si quod haberet. —
16. In sacrificio missæ non est adhibenda palla drappo serico a parte superiore cooperta. —
17. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo liateo non serico. —
18. Alia ad rem ad n. 22. —
23. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu* ad n. 27, ubi nonnulla reperiuntur notatu digna.

(1. Vetitum est missam celebrare capite velato; cap. *Nullus episcopus* 57, *De consecr.*, dist. 1. (2. Unde nemini licet uti pileolo, et ficto capillitio. Concilium Mediolanen. I, part. II, tit. *Que pertinent ad celebr. missæ*. (3. Nec alius præter Sedem Apostolicam potest eum ferendi cuiquam licentiam concedere, ex decreto jussu Urbani VIII in *Missali reformato* reposito his verbis: « Nemo audeat uti pileo in celebratione missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non

(77) « Difficultas est, quid faciendum sit de dolio vini in quod gutta specierum vini consecratarum immissa est. Respondet Sotus... et alii, illud vinum adhiberi, et bibi posse a laicis, nec opus esse, ut servetur pro missis celebrandis, quia ista gutta habetur pro omissa, cum ignoretur, quænam illa sit.

obstante quacunq̄ue contraria consuetudine: » et sacr. congr. Concil. 24 April. 1626, his verbis: « Facultas concedendi usum pileoli in missa spectat ad Papam. » (4. Et quoad fictum capillitium, seu comas expresse prohibuit Innocent. XI cujus decretum in diocesi Coloniensi fuit promulgatum præcis his verbis: « Cum informato non ita pridem, et consulto S. D. N. Papa Innocent. XI super rationibus et motivis quare usus comarum adscitiarum in hisce rigidioribus partibus saltem apud illos, quida S. Sedis Apostolicæ, seu legatorum ejus aut episcoporum diocesanorum, vel vicariorum eorumdem licentia longo temporis intervallo illis usi, iisdem sine præsentia valetudinis discrimine deinceps carere non posse dignoscerentur; modo, et forma juxta edictum sub 14 mensis Decembr. anni novissimi lapsi præscriptis tolerandis videretur, ejusdem Sææ Sanctitatis hic residenti legato illustris. et reverend. archiepiscopo Damasceno renuntiatum fuerit, « non esse mentem « Sanctitatis Sææ, quod nuntiis Apostolicis, « aut episcopis liceat licentiam sacerdotibus « concedere ejusmodi comas in actu celebrationis gestandi; » hinc justissimis sanctissimi Patris nostri monitis devotissime in omnibus obsequendo, revocatis cum hoc quibuscunque alias etiam post emanatum præfatum edictum obtentis licentiis, aut concessionibus, seu earum declarationibus, momentur omnes, et singuli harum tenore serio ac paterne in Domino, ut memores humilitatis et reverentiæ tam tremendo mysterio debitæ, sacrificio missæ, aut altari Dei non nisi detecto ac nudato capite assistere præsumant, idque sub pœna suspensionis a divinis officiis, aliisque juxta superius edictum, cujus tenor in reliquis quoque quoad vestium prohibitarum, annulorum, comæ, et coronæ etiam subdiacon. et diaconalibus ordinibus proportionatæ gestationem exactius, quam hactenus ubique observabitur. Signatum Coloniæ die 21 Martii 1689. Joannes Henricus ANETHAN., episcop. Hierap. suffrag. et vicarius generalis Coloniensis. *Vide verb. COMA FICTITIA*, seu *ADSCITITIA*, per tot., et verb. *PILEOLUS* per tot. (5. Vetitum est missam celebrare sine ministro cap. *Proposuit*, *De filiis presbyter.*, ubi sic habetur: « Non enim solus presbyter missarum solemnium, aut alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare. » Concil. Parisiens. VI, p. 1, c. 48, his verbis: « Visum est, ut deinceps hujusmodi casus inhibeat, provideatque unusquisque episcoporum, ne in sua parochia quisquam presbyterorum missam solus celebrare præsumat, et, si hanc definitionem, superbiendo transgressus fuerit, canonicæ correctioni subjaceat. » Sic etiam decrevit conc. Granatense, c. 36; conc. Mugutin.,

Verum magis pie Suar. Bonac... et alii per eos citati sentiunt hujusmodi vinum servandum esse ad pios usus, aliquin fieri contra reverentiam speciebus consecratis debitam. » Idem Barbosa, *Collect. DD. in Decretal.*, tit. 41, *De celebr. missæ*, cap. *Cum Marthæ*.

c. 43, et Leo IV, *Homil. de cura pastoralis*. (6. « Vetitum est sacerdotibus deferre manutergium super calicem eundo vel redeundo ab altari. Sac. congr. Rit. 1 Septembr. 1703, quod est etiam contra rubricam generalem Missalis, et *Comment. Gavant. in easdem rubricas*, part. 1, tit. 20. (7. Vetitum est pro ministro feminam inservire: cap. *Inhibendum*, *De cohabit. clericor. et mulier.*, ubi sic statuitur: « Prohibendum quoque est ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut presbyterio ministrare. » Subjungit La Croix l. VI, part. II, num. 388: « Et si mulier in ecclesia tacere debet, uti habetur *I ad Corinth.* XIV, multo magis abstinere debet a ministerio altaris; » sic etiam Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. XI, cap. 15, num. 42 et 43, cum multis ibi citatis. Confirmat Benedictus XIV, in constit. 47, tom. IV *Bullar.*, quæ incip. *Allatæ sunt*, ubi, § 29, hæc habet: « Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad episcopos Lucaniæ cap. 26, pravam consuetudinem jam invectam improbat, juxta quam, mulieres sacerdoti missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad Græcos transisset, Innocentius IV in epistola, quam ad episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit: « Mulieres autem « servire ad altare non audeant, sed ab « illius ministerio repellantur omnino; » iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra sæpius citata constitutione *Et si pastoralis*, § 6, n. 21, t. II *Bullarii nostri* (78). (8. Sic nec filius illegitimus potest missæ sui patris presbyteri inservire, quia indecorum est, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo unigenitus Dei Filius æterno Patri pro salute humani generis victimatur, ut habetur cap. *Cum decorem* 15, *De filiis presbyterorum*, et colligitur ex concil. Trident. *De reformat.*, sess. XXV, cap. 15, ubi: « Ut paternæ continentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur, » jubet, ne filii illegitimi clericorum, in ecclesiis, ubi eorum parentes beneficium habent, ullo modo ministrent, per præcisa hæc verba: « Nec in « dietis ecclesiis quoquo modo ministrare. » (9. Vetitum est cum baculo ad missam celebrandam accedere, ex canon. Zachariæ Papæ

(78) « Minister, secundum Nav., Fagn., Zerol., sub mortali, et quidem masculus: in necessitate tamen gravi, v. g. diei festi, vel dandi viaticum, posset quis sibi respondere, inquit Sa, Bonac. et Dian. tr. 4, resol. 45, ex aliis. In quo casu etiam feminam adhiberi posse docet Nug. a. 6, d. 1, et Sylv. idque quibusdam Belgii partibus consuetudine inductum esse docet March. *R. past.*, cap. 5, contra communem, apud Lay. Fern. et Dian., l. c. Tamburin. et March., *De ord.*, t. III, cap. 15, ubi vult id esse mortale. Ministrante tamen circa altare viro, qui haud sciat respondere, moniales ex choro respondere, non esse prohibitum notat C. de Lugo, et Tambur. ubi etiam cum Henriq. et Hurtad. permittit celebranti missam ceptam proseguere sine ministro, si hic forte abiit et aliquantulum expectatus non revertatur. » Buseub. apud D. de Ligorio, *De*

lato in concil. Romano, et inserto in decreto Gratian., in cap. *Nullus episcopus* 57, *De consecr.*, dist. 1, ubi sic habetur: « Nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad solemniam missarum celebranda præsumat cum baculo introire, et qui temere præsumperit, communionem privetur. » (10. Item vetitum est missam sine luminibus celebrare. Leo IV, *Homil. de cura pastoralis*, et Honorius III, in cap. *Litteras* 12, *De celebrat. missarum*. (11. Sic etiam vetitum est missam celebrare in calice ligneo et vitreo ex concil. Remensi, cap. 6, canon. *Ut calix* 43, *De consecr.*, dist. 1, ubi expresse dicitur: « Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat missam cantare. » (12. Neque uti permittitur calice ex ære, aut aurichalco; ex eodem concil., *ibidem*, his verbis: « De ære, aut aurichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. » (13. Sicuti nec etiam uti licet calice plumbeo, aut ferreo ex eodem motivo; c. *Vasa*, *De consecr.*, dist. 1, et Leo IV, *Homil. de cura pastoralis*. (14. Vetitum est missam celebrare cum calice quocunque non consecrato, ex cap. *Unico*, § fin. *De sacra unctione*. (15. Imo, si quis auderet celebrare in calice non consecrato, esset suspensus ab officio celebrandi et a beneficio, si quod haberet, per textum in cap. ultimo, *De celebrat. missarum*.

(16. In sacrificio missæ non est adhibenda palla drappo serico a parte superiori cooperta. Sac. congreg. Rit. 22 Jan. 1701.

(17. Sacerdos in sacrificio missæ congruentius utitur cingulo lineo, quam serico. Eadem sac. congreg. Rit. 22 Januar. 1701, apud La Croix, lib. VI, part. II, n. 2055, pag. 312 et 313.

(18. Annulum in digito gerere, dum missa celebratur, cujuscunque dignitatis nemo potest, vetante S. Rituum congregatione, *Instit. eccles.* 34, § 4, n. 15.

(19. Nec licet etiam protonotariis non participantibus adhibere in missa instrumentum argenteum cum candela, ut ex decreto apud Monacell., *ibid.*, n. 16. Quod etiam superioribus ordinum mendicantium, et parochis vetuit S. congregatio, cujus litteræ referuntur *ibid.*, sub. n. 17, sunt autem tenoris sequentis:

eucharist., etc., num. 591.

Sed audiamus eundem D. de Ligorio, qui hæc habet: « Dubitatur an sacerdos celebrans, respondente muliere, graviter peccat? Affirmat Nunn. apud Dianam... sed communiter negant Laym... Suarez... Tournely... et Diana... cum Molles, Homob, Zanardo, Fern. Hinc dicunt Wigandt... Tournely cum Lugo, et Laym. cum Palud. et Hurtad. bene permitti, ut feminae quandoque respondeant a longe, maxime si sint sanctimonialia, modo non immediate ministrent in altari, porrigendo urceolos, etc., id enim non posse excusari a mortali ex cap. *Inhibendum*, *De cohabit. cleric.*, ubi feminis omnino interdicitur celebranti ministrare. Et ideo bene advertit Laym. quod, urgente necessitate, satius esset celebrare sine ministro, quam cum femina ministrante. » *Loc. cit.*, num. 592. (*Editores Casinenses.*)

*Eminentiss. ac reverendiss. Domine
Observandiss.*

« Cum sacrorum Rituum congregat. innotuerit, quemdam in ista civitate Bononiæ irrepsisse abusum, quod tum parochi ejusdem, tum superiores ordinum mendicantium nulla dignitate ecclesiastica insigniti, nulloque justo titulo fulti, in celebratione missæ sive solemnæ, sive privatæ instrumento argenteo cum candela, quod *bugia* nominatur, noviter uti præsumpsere, eminentissimi, et reverendissimi Patres eidem sac. congregationi præpositi Eminentiss. vestræ scribendum esse duxerunt, ut ipsa abusus prædictum zelo, quo pollet, ecclesiasticæ disciplinæ, a civitate ista omnino tollere, et amovere curet, parochosque omnes, et ordinum mendicantium superiores, adhibitis iis juris remediis, quæ prudentiæ suæ opportuna, vel etiam necessaria videbuntur, auctoritate ipsius sac. congregationis moneat, coerceat, et ad terminos suos reducere non omittat; et E. V. manus humillimæ exosculor.

« Romæ 18 Augusti 1734.

« Eminentiss. Vestræ

« Humillimus atque addictissimus
servus A. F. card. ZONDARII,
propræf.

« N. M. TEDESCHI, archiepiscopus Apam.
S. R. C. secret. »

Quin et juxta decreta Alexandri VII abbatibus regularibus consecratis id non licet, nisi in missa solemnæ, cum pontificalibus utuntur, ut ex decretis S. congregationis; cit. *Institut. Eccles.* 34, § 4, num. 17.

(20. Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistente; *ibidem*, § 18, ut ex decreto sac. congregat. Rituum.

(21. Novus sacerdos in celebratione missæ primæ vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes, potest tamen se vertere ad altare, et ibi eas accipere, ex decreto sac. congregationis; *Institut. Eccles.* 56, § 7.

(22. Sacerdos, in alia diocesi celebrans missam, non potest nomen episcopi sui nominari episcopi illius diocesis substituere, ex Pouget, et Merato. Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. II, cap. 17, § 4.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(23. An possit sacerdos sine ministro missam celebrare, si sit aliqua celebrandi necessitas, non conveniunt inter se auctores. Negant post D. Antoninum complures. Affirmant vero alii; sed et hi discordes sunt circa illam necessitatem, quæ licitam facit hanc missæ celebrationem sine ministro. (24. Affert Sotus exemplum, si aliter sacerdos non posset satisfacere præcepto audiendi missam. Sed non omnes in hoc exemplo concordantes sunt. (25. In eo tamen videntur plerique convenire, quod scilicet possit missa celebrari sine ministro, si viaticum sit ministrandum periculose ægrotanti.

(26. De eo quoque quæri solet, an in casu necessitatis liceat uti ministerio mulieris? Satius esse sine ministro celebrare, quam mulierem habere adjutricem, communis opinio est.

(28. Num filius illegitimus in casu necessitatis possit patri celebranti ministrare: tum an possit ministrare eidem patri secreto celebranti in aliquo oratorio, vide apud Pasqualig. t. I, quæst. 349, n. 3.

ARTICULUS X.

Missæ quoad requisita pro ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Requiritur in primis altare. — 2. Et debet esse consecratum. — 3. Et coopertum linteis mundissimis. — 4. Et ista lintea regulariter debent esse tria. — 5. Et in ipso altari, etiamsi sit expositum venerabile, semper requiritur crux cum imagine Crucifixi etc. — 6. Et debent lumina esse in ipso accensa. — 7. Requiritur corporale benedictum ab episcopo, vel ab habente privilegium benedicendi. — 8. Et hoc debet esse linteum. — 9. Requiritur quedam etiam parva palla superponenda calici. — 10. Requiritur calix cum patena ex auro, vel ex argento. — 11. Requiritur missale. — 12. Requiritur insuper amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula. — 13. Alia ad rem ad n. 24. — 25. * An sacerdos omitendo aliquid eorum, quæ ad ritum celebrationis attinent, puta debitum tempus, altare, etc., vestes, etc., valide consecrat. — 26. Expenditur hic, an debeat esse determinata quantitas panis et vini pro valida consecratione; alia ad rem, ibi.

(1. Requiritur in primis altare, ex cap. *Altaria*, De consecrat., dist. 1, quod debet esse lapideum, ex concil. Epaoenen. can. 26 et 27, post epist. 2 Evaristi, et ex concil. Hipponen. cap. 6, et refertur in cap. *Altaria*, De consec., dist. 1. (2. Et debet esse consecratum ex c. 1, De consecrat., dist. 1. (3. Et coopertum linteis mundissimis, c. *Consulto*, De consec., dist. 1. Con. Coyaens., c. 3; concil. Lateranen. IV, cap. 19, concil. Oxonien. I, c. 10. (4. Et ista lintea regulariter debent esse tria, ut videtur colligi ex c. *Si per negligentiam*, De consec., dist. 2, ubi præter corporale numerantur tria his verbis: « Si aliquid de sanguine stillaverit supra linteum altaris, et ad aliud stilla pervenit, quatuor diebus pœniteat, si usque ad tertium, novem diebus pœniteat, si usque ad quartum, viginti diebus. » Ubi nota primum verba *stillaverit super linteum altaris* referri ad corporale, et cum de tribus aliis fiat mentio, utique judicari, quod requirantur tria præter corporale, sicuti patitur Missale Romanum auctoritate Clem. VIII et S. Pii V editum expresse tria requirit t. *De defectibus*. (5. Et in ipso altari etiam si sit expositum venerabile, semper requiritur crux cum imagine Crucifixi, ut declaravit sac. congr. Rit. 24 Maii 1707, his verbis: « Quando super altare expositum est venerabile, debet etiam in eo collocari cum imag. Crucifixi: » Et quidem illius altitudinis et magnitudinis novissime præscriptæ a sæpe laudato Sum. Pont. Bened. XIV, die 16 Julii 1746 in sua encyclica epistola directa archiepisc. episc., et ordinariis ditio-

nis ecclesiasticæ, in qua circa finem sic expresse mandat: « Illud vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad hujusmodi altaria nisi crucifixus inter candelabra ita promineat, ut sacerdos celebrans, ac populus sacrificio assistens eundem crucifixum facile, et commode intueri possit, quod evenire nequit, si exigua solum crux minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. Si ejusmodi corruptela in diocesi non valde propagata est, facile extingui poterit; si privatim regulares, aut sæculares ecclesiarum superiores de hac re moneantur: Sin autem late per diocesim invaluerit, tunc a vobis edictum necessario promulgandum erit, quod his nostris litteris conformetur: » *Vid.* tamen in *Supplementis* ad verb. ALTARE, n. 59, novissimam dispositionem ejusdem Pont. Benedicti XIV, circa crucem collocandam, vel non, in altari, in quo est expositum sanctissimum sacramentum. (6. Et debent lumina esse in ipso accensa, ex capitulo ultimo, De celebratione missarum.

(7. Requiritur corporale benedictum ab episcopo, vel ab habente privilegium benedicendi, cap. *Consulto*, De consec., dist. 1.

(8. Et hoc debet esse linteum, ex concil. Remens., cap. 3. (9. Requiritur etiam quedam parva palla superponenda calici, ut habet Innocentius, lib. II, *De mysteris missæ*, cap. 56, his verbis: « Duplex est palla, quæ dicitur corporale, una, quam diaconus super altare totam extendit, altera quam supra calicem plicatam imponit. » (10. Requiritur calix cum patena ex auro, vel ex argento, ex cap. *Vasa*, De consecrat., dist. 1, et ex concil. Remensi relato in cap. *Ut calix*, De consecrat., dist. 1, ubi habentur hæc verba: « Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat: » qui calix cum patena debet esse consecratus, ex cap. unico, § final. *De sacra unctione*. (11. Requiritur Missale jussu S. Pii V editum constituit. incip. *Quo primum*: quod iterum restitutum, et emendatum solum in usu haberi mandavit Clemens VIII, constit. incip. *Cum sanctissimum*. (12. Requiritur insuper amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, et casula ex concil. Coyaens., cap. 3, Leone IV, *Homil. de cura pastorali*, et videtur colligi ex cap. *Ecclesiastica institutio*, dist. 23, et explicite enumerat omnes has vestes Innocentius III, lib. I, *De mysteris missæ*.

(13. * Sacerdos missam celebrans etiam in necessitate dandi viatici infirmo absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia: neque enim urget viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. Ben. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 7, § 1.

(14. Idem dicas si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera, sive ex oleo; et si desint, in necessitate, saltem sebacea, sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque Missali, seu libro, in quo sit saltem canon. Hæc ex DD. *ibid.*, § 2.

FERRA. V.

(15. Peccat etiam sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex cap. *Proposuit*, De fil. presbyt. Si tamen sit ministrandum viaticum, potest sacerdos sine ministro missam celebrare et sibi ipsi respondere. Alias præstat omittere missam, quamvis si hoc agat, sunt qui negent illum peccare. *Ibid.*, § 3.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(16. Altare, in quo missa est celebranda, potest consecrari non solum ab episcopo, sed et a simplici sacerdote, si hanc ipsi potestatem concedat Summus Pontifex; V. Habert, *De euch.*, 13, q. 1.

(17. Num autem ad consecrationem altaris necesse omnino sit, ut reliquiæ sanctorum in eo includantur, magna quæstio est. Negant plures, quos allegat Habert *lococitato*, quæst. 3, ut sunt Suarez, Sotus, Coninck, etc. Sed recedendum haud est a communi Ecclesiæ praxi firmata communiori opinione, nempe altare sine reliquiis non esse consecratum, consecratumque exsecrari ablatis reliq., vel fracto sigillo locali, in quo sunt recondita.

(18. Quando vero altare consecratum censerit possit exsecraturum et amisisse benedictionem, tradit Habert *ubi supra*, q. 2.

(19. Sicuti altaris, ita et calicis consecratio potest ex permissione Summi Pontificis spectare ad simplicem presbyterum reque ipsa spectat ad nonnullos abbates et superiores. (20. Sed hæc facultas non solet ipsis dari, nisi pro oratoris sui ordinis tantum et ita semper intelligenda, si forte verba essent dubia. De exsecratione calicis, vide Habert, *eodem loco*, quæst. 3.

(21. Non conveniunt auctores, an sacerdote celebrante cum calice, aut in altari non consecrato, censeantur illa consecrata? Non male vero distinguit Sambovius inter altare et calicem, tenetque altare non manere consecratum ex sacrificio super eo oblato, Calicem vero consecrari ex solo contactu sanguinis Christi.

(22. Si aliqua ex vestibus sacerdotalibus desit, nec haberi queat, an omitti debeat missæ sacrificium in casu etiam necessitatis? « Pensandum est (inquit Habert, *De eucharistia*, cap. 14, quæst. 7) quatenus ex una parte sit defectus et ex altera quanta sit celebrandi necessitas. (23. Namque 1º in communi et profano vestitu nunquam liceret offerre: quod etiam verum est, si desit altare consecratum, sive calix, sive patena, sive corporale. (24. 2º Si tanta sit celebrandi necessitas, puta si frequens populus sine scandalo dimitti non posset, celebrare liceret sine manipulo aut cingulo. Si autem tanta non sit necessitas, si v. g. sacerdos aliter satisfacere non possit præcepto audiendæ missæ, ex S. Antonino præstat non audire, quam indecenter celebrare. Moneant communiter in casu necessitatis licitum esse stola pro cingulo, vel manipulo pro stola uti. »

ADDITIONES CASINENSES.

(25. Sacerdos omitendo aliquid ex iis,

quæ ritum celebrationis spectant, nempe tempus debitum, altare etc. peccat quidem graviter, nihilominus consecrat, positis debita materia et forma, si adsit ejus intentio.

Ita in Sacerdotali Romano, ubi hæc leguntur: « Sciendum est, quod secundum S. Thomam et Albertum et alios theologos, si omittatur aliquid de his, quæ ad ritum celebrationis pertinent, quilibet dimittens aliquid tale, puta tempus debitum, altare tribus mappis coopertum, vestes et hujusmodi, graviter peccat: nihilominus consecrat, si sit ordinatus, et adsit ejus intentio, et debita materia et debita forma, sed gravissime peccat, si scienter hoc faciat. » Apud Bened. XIV, *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 13, num. 2.

« Quæritur P. Orsi, prosequitur idem Benedictus XIV, l. c., an valide consecraret sacerdos, qui super panem et vinum communi mensæ apposita consecrationis verba pronuntiaret, nullus indutus sacris vestibus, nullis cæremoniis, nullis precationibus adhibitis, serio tamen agens cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. De illicita consecratione nulla esse potest controversia: tota difficultas eo redit, an valide consecraret. Combefisius, Le Quien et Toutée statuunt consecrationem esse invalidam, eorum opinionem secuti, qui non Christi tantum verbis, sed Ecclesiæ etiam precationibus panem et vinum existimant consecrari. Quam sententiam cum idem P. Orsi evertit et ipsi cum eo sentimus, consecrationis formam in Christi verbis consistere, ideoque statumus cum eo, ejusmodi consecrationem illicitam quidem fore, sed validam. »

(26. Circa quantitatem vero panis et vini consecrandam, an scilicet determinata esse debeat, pro validitate consecrationis, audiamus D. Thomam, qui sic habet: « Quidam dixerunt quod sacerdos non posset consecrare immensam quantitatem panis et vini: puta totum panem, qui venditur in furno, aut totum vinum, quod est in dolio. »

« Sed hoc non videtur esse verum: quia in omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem: sicut materia serræ est ferrum, ut sit apta sectioni. Finis autem hujus sacramenti est usus fidelium. Unde oportet, quod quantitas materiæ hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium. Non autem potest esse, quod determinetur per comparationem ad usum fidelium, qui nunc occurrunt; alioquin, sacerdos paucos parochianos habens non posset consecrare multas hostias. Unde relinquitur, quod materia hujus sacramenti determinetur per comparationem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est indeterminatus. Unde non potest dici, quod quantitas materiæ hujus sacramenti sit determinata. » Part. III, q. 74, art. 2.

Addit idem D. Thomas, *ibid.*, ad 2, quod

etiamsi sacerdos consecraret propter malum finem, quicumque is esse posset, nihilominus perficeret sacramentum. En ejus verba: « Unde si sacerdos intendat consecrare corpus Christi propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat: nihilominus tamen propter potestatem sibi datam perficit sacramentum. »

Hinc concludas oportet, cum Christus materiæ consecrandæ mensuram non definiverit, sive in exigua, dum tamen visibili, sive in magna copia consecrationem valere: « Quamvis (nota) non defuerint theologi, qui irritam putarent fore consecrationem, si sacerdos immensam panis, aut vini copiam, qualis est *ex. gr.* in furno, aut in dolio consecrare vellet, eo quod, inquebant, potestatem a Christo accepit in ædificationem, non in destructionem. »

ARTICULUS XI.

Missa quoad requisita in celebrante pro valida et licita ejus celebratione.

SUMMARIUM.

1. Requiritur, ut valide celebret, quod celebrans sit rite ordinatus sacerdos. — 2. Et quod habeant intentionem sacrificandi et conficiendi sacramentum. 3. Et ut licite celebret, quod sacerdos in gratia sit et se probet. — 4. Unde concil. Trid. confessionem in sacerdote prærequirit, non solum ratione communionis, sed etiam ratione specifica celebrationis. — 5. Quomodo sit intelligendum Tridentinum præcipiens sacerdoti, qui, necessitate urgente, absque prævia confessione celebravit, ut post celebrationem quamprimum confiteatur ad n. 6. — 7. Ut celebrans licite celebret requiritur etiam quod sit jejunus jejunio naturali. — 8. Assignantur tamen aliquæ causæ, ob quas potest licite celebrare etiam non jejunus jejunio naturali, ad n. 28. — 29. Quid sit jejunium naturale et quando frangatur, vel non? ad n. 46. — 47. Subnectuntur *Additiones ex aliena manu* ad n. 55.

(1. Requiritur, ut valide celebret, quod celebrans sit rite ordinatus sacerdos, ex concil. Nicæno cap. 4, et ex Triden., sess. xxii, c. 1. (2. Et quod habeat intentionem sacrificandi et conficiendi sacramentum, ex concil. Florentino in *Decreto unionis Armen.*, et ex Trid., sess. vii, can. 11, *De sacramentis in genere*, ubi anathematizatur, qui dixerit, « in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. »

* Porro intentio applicationis missæ sufficit si habitualis fuerit; est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multo ante intercesserit. Tempus autem applicationis num sit sufficiens post consecrationem ambiguum est. Præstat, ut sacerdos missam applicet, cum se ad eam præparat, *De sacrif. miss.*, lib. III, cap. 16, § 9. Quoad intentionem hoc quoque notandum: cum novi sacerdotes cum episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant se consecratos eodem momento, quo episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante, sive postea

formam compleverint; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum episcopo, atque ita una cum eo consecrent, ex quo fit, ut si non ita jungant sua verba cum episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi. *Ibidem*, § 6*. (3. Et ut licite celebret, requiritur, quod sacerdos sit in gratia et se probet, juxta præceptum Apostoli *I ad Corinth.*, xi: *Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat.*, id est confessionem sacramentalem præmittat, ut vult concil. Trident., sess. XIII, cap. 7, *De Eucharistia*, his verbis: « Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad S. eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incumbere celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris; quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur, » et canone 11 ejusdem sessionis statuit expresse, « necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem, » sub pœna excommunicationis eo ipso. (4. Unde concil. Trident. confessionem in sacerdote prærequirit, non solum ratione communionis, sed etiam ratione specifica celebrationis, adeo ut non solum teneatur esse in gratia quando in missa sacram. Eucharistiam sumit, sed etiam in ipso actu sacrificii, quando ipsum conficit, ut expresse innuit sess. xxii, in decreto *De observandis et vitandis in celebratione missæ*, dum dicit: « Omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. »

(5. Illa autem particula citati Tridentini « quam primum confiteatur, » si urgente necessitate, ex defectu confessoris inconfessus celebraverit, non est intelligenda in hoc sensu, scilicet cum sacerdos suo tempore confitebitur; quia in hoc sensu fuit damnata ab Alex. VII, 18 Martii 1666, his præcis verbis, uti jacet n. 39 in ordine: **ILLA PARTICULA QUAM PRIMUM INTELLIGITUR, CUM SACERDOS SUO TEMPORE CONFITEBITUR.** Sed ejus verus sensus est, ut quamprimum, et statim post peractum sacrum habuerit copiam confessoris, vel illico ac confessarius sibi occurrerit, teneatur confiteri, taliter quod, si unum, vel alterum confessarium culpabiliter prætermittat, peccet mortaliter ratione non adimpleti hujus præcepti. (6. Nec potest dici quod concil. Trident. ibi consulat tantummodo, et non præcipiat confessionem quam primum, quia concilium ibi præceptum dat, non consilium, ut expresse patet ex sequenti propositione 38 in ordine damnata ab Alexandro VII, die et anno quo supra: « Mandatum

Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum mortali peccato, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum. »

* Sacerdos igitur valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. At ut celebret etiam licite, debet esse in statu gratiæ, et a lethali peccator liber; alioquin, duplisculpæ reum se constituit, conficiendo scilicet, vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando.

Vetat quidem Tridentinum cit. sess. XIII, c. 7 *De eucharistia*, ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius sacramentali confessione expiatus, ad celebrandum accedat; permittit tamen sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu contritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia confessorii: simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur; atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum, *probet autem se ipsum homo.* In casu vero urgentis necessitatis non satis est attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam sacerdos sine culpa contritionem existimaverit.

Porro urgens necessitas, de qua hic sermo, ea censetur, si sacerdos eo die non celebrans offensionem esset, et scandalo. Item si parochia celebrandum est ad ministrandum viaticum. Sunt qui addunt sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter sacrific. indigens; quod tamen aliis, et merito, minus probatur, cum omnes animæ in purgat. sacrific. indigeant.

Sed quid, si sacerdos, cœpta missa, recordetur peccati lethalis non expositi in confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto, si ante consecrationem peccati, seu jejunii non servati recordatur, missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat, et sumat sacramentum, præmissa contritione, si succurrat grave peccatum nondum penitentia deletum, et elicitum proposito satisfaciendi postmodum præcepto confessionis et absolutionis. Si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quam sacramentum conficere, et indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico ministro, peccati gravis, inchoata missa, recordetur, quæstio est anceps; sunt enim, qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo minister puer, vel celebrantis servus, aut amicus.

Si ea die, tempore missam præcedente, grave peccatum commissum a sacerdote fuerit, de quo tamen doluit, et confessus est, non decet sacerdotem eadem die celebrare, quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immundities corporis adimitur. Idem dicas de eo qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consen-